

# Hochschule für Musik und Tanz Köln - Hochschulbibliothek

**Officium in sabbato sancto**

**s.l.**

Ad Primam.

---

[urn:nbn:de:hbz:kn38-8204](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:kn38-8204)

## AD PRIMAM.

*Dictis secreto, Pater noster, Ave Maria, et Credo, absolute inchoatur a Psalmis sequentibus.*

## PSALMUS 53.

**D**EUS, in nómine tuo salvum me fac: \* et  
Din virtúte tua júdica me.

Deus, exáudi oratiónem meam: \* áuribus  
pércepe verba oris mei.

Quóniam aliéni insurrexérunt advérsum  
me, et fortes quæsiérunt ánimam meam: \*  
et non proposuérunt Deum ante conspéctum  
suum.

Ecce enim Deus ádjuvat me: \* et Dómi-  
nus suscéptor est ánimæ meæ.

Avérte mala inimícis meis: \* et in veritáte  
tua dispérde illos.

Voluntárie sacrificábo tibi, \* et confité-  
bor nómini tuo, Dómine, quóniam bo-  
num est.

Quóniam ex omni tribulatióne eripuísti  
me: \* et super inimícos meos despéxit ócu-  
lus meus.

## PSALMUS 118.

**B**EATI immaculáti in via: \* qui ámbulant  
in lege Dómini.

Beáti qui scrutántur testimónia ejus: \*  
in toto corde exquírunť eum.

Non enim qui operántur iniquitátem, \*  
in viis ejus ambulavérunt.

Tu mandásti \* mandáta tua custodíri ni-  
mis.

Utinam dirigántur viæ meæ, \* ad custo-  
diéndas justificatiónes tuas!

Tunc non confúndar, \* cum perspéxero  
in ómnibus mandátis tuis.

Confitébor tibi in directiÓne cordis: \* in  
eo quod didici judícia justítiæ tuæ.

JustificatiÓnes tuas custódiam: \* non me  
derelínquas usquequáque.

In quo córrigit adolescéntior viam suam? \*  
in custodiéndo sermónes tuos.

In toto corde meo exquisívi te: \* ne re-  
péllas me a mandátis tuis.

In corde meo abscóndi elóquia tua: \* ut  
non peccem tibi.

Benedictus es, Dómine: \* doce me justi-  
ficatiÓnes tuas.

In lábiis meis \* pronuntiávi ómnia iudícia oris tui.

In via testimoniórum tuórum delectátus sum, \* sicut in ómnibus divítiis.

In mandátis tuis exercébor: \* et considerábo vias tuas.

In justificatióibus tuis meditábor; \* non oblivíscar sermónes tuos.

**R**ETRIBUE servo tuo, vivífica me: \* et custódiam sermónes tuos.

Revéla óculos meos: \* et considerábo mirabilia de lege tua.

Incola ego sum in terra: \* non abscóndas a me mandáta tua.

Concupívit ánima mea desideráre justificatiónes tuas, \* in omni témpore.

Increpásti supérbos: \* maledícti qui declínant a mandátis tuis.

Aufer a me oppróbrium et contéptum: \* quia testimónia tua exquisívi.

Etenim sedérunt príncipes, et advérsum me loquebántur: \* servus autem tuus exercébatur in justificatióibus tuis.

Nam et testimónia tua meditátió mea est: \* et consílium meum justificatiónes tuæ.

Adhæsit paviménto ánima mea: \* vivífica  
me secúndum verbum tuum.

Vias meas enuntiávi, et exaudísti me: \*  
doce me justificatiónes tuas.

Viam justificatiónum tuárum ínstrue me: \*  
et exercébor in mirábilibus tuis.

Dormitávit ánima mea præ tædio: \* con-  
firma me in verbis tuis.

Viam iniquitátis ámove a me: \* et de  
lege tua miserére mei.

Viam veritátis elégi: \* judícia tua non  
sum oblítus.

Adhæsi testimóniis tuis, Dómine: \* noli  
me confúndere.

Viam mandatórum tuórum cucúrri, \* cum  
dilatásti cor meum.

*Deinde dicitur flexis genibus:*

*R.* Christus factus est pro nobis obédiens  
usque ad mortem: mortem autem crucis:  
propter quod et Deus exaltávit illum, et de-  
dit illi nomen, quod est super omne nomen.

*Et dicitur secreto, Pater noster, postea  
Psalmus, Miserére p. 39.*

*Oratio*

**R**ESPICE, quæsumus Dómine, super hanc  
famíliam tuam, pro qua Dóminus noster

Jesus Christus non dubitávit mánibus tradi nocéntium, et crucis subíre torméntum: Qui tecum vivit, et regnat in unitáte Spíritus sancti Deus, per ómnia sæcula sæculórum. Amen.

### AD TERTIAM.

*Dictis secreto, Pater noster, et Ave María, absolute inchoatur a Psalmis sequentibus.*

#### PSALMUS.

**L**EGEM pone mihi, Dómine, viam justificatiónum tuárum: \* et exquíram eam semper.

Da mihi intelléctum, et scrutábor legem tuam: \* et custódiam illam in toto corde meo.

Deduc me in sémitam mandatórum tuórum: \* quia ipsam vólui.

Inclína cor meum in testimónia tua: \* et non in avarítiam.

Avérte óculos meos ne vídeant vanitátem: \* in via tua vivífica me.

Státue servo tuo elóquiúm tuum, \* in timóre tuo.

Amputa oppróbrium meum, quod suspi-cátus sum: \* quia judícia tua jucúnda.

Ecce concupívi mandáta tua: \* in æquitáte tua vivífica me.